


Johann Juncker

**Natalem Domini MDCCLV. Religiose Celebrandum Fridericianae Prorector  
Ioannes Iunckerus ... Indicit Civibus Proposita Simul Disputatione De Statu  
Temporum Nato Christo Et De Singulari Plane Temporis Nostri Signo**

Halae Magdeburgicae: Hendelius, [1755]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn844116459>

Druck Freier  Zugang





a. B.

48. C. 2.

57

275  
Fa - 1092 (57.)

19  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



NATALEM DOMINI  
CICIDCCLV.

RELIGIOSE CELEBRANDVM

FRIDERICIANAE PRORECTOR

IOANNES IVNCKERVS

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS OR-  
DINARIVS PAEDAGOGII REGII ET ORPHANO-  
TROPHEI MEDICVS

VNA CVM

DIRECTORE

AC RELIQVO

SENATV ACADEMICO

INDICIT

CIVIBVS

PROPOSITA SIMVL DISPVTATIONE

DE

STATV TEMPORVM NATO CHRISTO

ET DE


SINGVLARI PLANE TEMPORIS NO-  
STRI SIGNO.



HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IO. CHRISTIANI HENDELIJ, ACAD. TYPOGR.

NATALEM DOMINI  
CICCOLE  
RELIGIO GERMANICA  
FRIDERICIANAE DIRECTOR  
IOANNES IVICKERVS  
MEDICAE DOCTOR ET PROFESSOR PRAECEPTOR  
DINARVS PRAEDICAGI REGI ET ORPHANO  
TROPHII MEDICVS  
MCM  
DIRECTOR  
AC RELIGIO  
SINATV ACADEMICO  
IMPLICIT  
CIVILIS  
PROXIMA PARTE SINGULORVM  
STATV TEMORVM NATV QVINTO  
SINGVLI TEMORVM NO  
STATV NO  
SINGVLI TEMORVM NO  
STATV NO  
SINGVLI TEMORVM NO  
STATV NO



Vm singulari Dei beneficio laetos illos dies rursus  
viuendo attigerimus, quibus memoria nati olim,  
Seruatoris vniuersi humani generis, publice in  
ecclesia renouatur, aequum omnino ac plane ad  
officium nostrum pertinens esse iudicamus, *Ciues  
optimi*, vt quantum in nobis est, Fridericiana  
quoque laudibus Dei immortalis personae, qui  
tantopere amauit mundum, vt filium virginem  
illi salutis auctorem conseruatoremque dederit.

Quo itaque finem nobis propositum consequamur, pietatemque ve-  
stram Deo ac Christo debitam his diebus, quantum in nobis est, excite-  
mus atque adiuuemus, mori recepto obsecuturi, vtile aliquod argumen-  
tum cum euangelio, quod in conuentibus sacris sacro hoc tempore pu-  
blice nunciatur, coniunctum scripto breuiter explicabimus, vobisque ad  
religiosam meditationem piumque vsum commendabimus.

Considerandum igitur vobis proponere constitutum est rationem  
temporis, quo filius Dei immortalis homines seruaturus, ipse mortalis  
homo natus est. Pro satis noto exploratoque ponimus ad hanc rem ac-  
cedentes, certum aliquod aeterno Dei consilio tempus constitutum ac  
definitum fuisse, quo tantam rem effici Deumque in carne reuelari oportebat.

IIII

rebat. Non solum enim ad summam Dei sapientiam pertinet, optima quaeque semper sibi proponere ac facere, verum etiam opportunissimum ad illa tempus deligere: ex quo plane dubitari nequit Deum, maxime intanta re, sibi rationibusque suis constitisse. Accedunt vero etiam idque confirmant euidentissima sacrarum litterarum testimonia, ex quorum numero vel vnicum illud Pauli sufficere potest, *tempore vero, in-  
quientis, impleto, Deus filium suum misit natum ex muliere* (Gal. III. .) Potest vero tempus nati Christi duplici ratione considerari ita nimirum, vt vel ad notas temporis a spiritu prophético suppeditas attendentes efficiamus, qua mundi aetate quoue anno nasci debuerit homo ille sine exemplo; vel statum temporum humanique generis moralem nato Christo cogitemus. Vtraque quidem consideratio maximi omnino momenti est; illa enim notas temporis ad Iesu Nazareni tempora transfert, docetque illum eo tempore omnino natum esse, quod a vatibus diuinis clarissimis errareque non patientibus indiciis definitum fuerat, neminemque proinde alium expectandum esse; haec vero docet, quam opportunum fuerit illud ipsum tempus propter statum humani generis, quod Seruatore plane egere illo maximo tempore cognoscebatur.

Quoniam vero nimis longum esset atque ab instituti ratione nimis remotum haec omnia in praesenti literis persequi, in vltima consideratione consistemus, exposituri videlicet temporis statum, quo filius Dei ad salutem restituendam in mundum venit. Duabus vero maxime rebus dicenda comprehendemus, demonstraturi perspicue, *primo* tempora illa admodum corrupta ac plane misera fuisse; *deinde* propter varias causas admodum tamen ad id opportuna, vt salus a Christo nobis parata facilius ad notitiam mortalium perferri, ac proinde multorum saluti reuera consuli potuerit. Quod ad primam argumenti nostri partem attinet, in illa explicanda ita versabimur, vt primo ex nonnullis sacrarum litterarum testimoniis miseriam illorum temporum, de quibus nobis sermo est doceamus; deinde vero veritatem illorum accuratiori temporis ipsius hominumque consideratione planam faciamus.

Descripsit igitur spiritus Dei prima Noui Testamenti tempora tamquam admodum misera ac deprauata, quod cum multis facile probari posset, duobus in praesenti effatis comprobasse contenti erimus. In medium itaque primo prodeat insignis ille V. T. oraculorum diuinorum interpres Iesaias scilicet, qui (cap. VIII.) *populus ambulans, in-*  
quit,

quit, in tenebris, vidit lucem magnam; sedentibus in terra umbræ mortis lumen adfulsit. Sermonem hic esse de temporibus nati Seruatoris, cum proxime consequentia, tum etiam Matthæi hæc ipsa verba laudantis atque ad illa transferentis auctoritas nos plane dubitare non sinunt. Quænam vero futura erat facies illorum temporum? densam caliginem torrentis modo quasi infusam terris ait spiritus Dei, vt nox fuerit non quasi illunis aut nubila, sed qualis esse solet omni lumine extincto in locis subterraneis ac sepulcris, vbi omnia tristitia, horrida ac terroris plena sunt: tenebras enim in sacris imaginem ignorantiae, caecitatis, impietatis, formidinis, breuib; status miserimi ac tristissimi esse non minus constat apud omnes, quam luminis vocabulum ad contraria significanda in sacris vsurpari. In his tenebris homines illorum temporum ambulare ac sedere dicuntur. *Ambulare* vero in tenebris duo maxime significat, primo illa agere, conari semper atque facere, quæ excaecato deprauatoque animi statui conueniunt; deinde in incerto imo in timore esse, quo tandem peruenias, & quem exitum res tuæ habituræ sint. *Sedere* vero in tenebris idem est, ac tenebras amare & incolere velle, illisque quasi ita circumfusum atque obrutum esse, vt omnis erumpendi facultas negetur. Alter quem producimus testem Paulus est, magnus ille euangelii præco, qui generatim de tempore, quo Christus in mundum venit verba faciens, (Rom. V.) cum nos, inquit, *ad huc infirmi essemus, secundum tempus Christus pro impiis mortuus est.* Infirmetas mortalium, quam hic commemorat apostolus, significat statum, quo adeo non gloriari liceat, vt potius pudere illius oporteat: sententia itaque, vt paucis omnia complectamur, hæc est; cum omnes Iudæi aequæ atque ethnici in statu pudendo essemus, ac turpitudine nostra quam maxime adpareret, nobisque omnem iustam a Deo bona expectandi fiduciam eriperet, Christus opportunissimo plane tempore tamquam Seruator venit, ac pro nobis mortuus est. Cum videlicet morbi generis humani plane desperati quam maxime adparebant, nihil profecto aptius erat, quam adparere tum etiam medicum, qui opes facultatemque haberet, tantis malis occurrendi ac medendi. Verum his iam missis, progrediamur ad alterum, rebus ipsis probaturi, quod optimum probandi genus est, quam bene atque ex vero viri diuini imaginem illorum temporum expresserint. Diuidebatur illis temporibus vniuersum hominum genus in Iudæos & ethnicos;

## VI

utrorumque quam miser ac deprauatus fuerit status, operae pretium est breuiter exponere.

Quod igitur ad Iudaeos attinet, illorum quidem res bene se habere potuissent ac debuissent, quoniam singulare reuelationis diuinae beneficium illis obtigerat; quo si recte uti voluissent, non tam multas de perversitate illorum conquerendi causas habuisset ipse Dominus. Verum enim vero omnia apud eos in peius erant prolapsa: quod ut adpareat ex multis sequentia tamquam praecipua cogitari & expendi volumus.

*Primo* maxima laborabant ignorantia malorum ac vitiorum, quibus natura humana iam a primo ortu corrupta est, & quae deinde consuetudine & assiduitate peccandi in dies ita roborantur, ut atrocissima scelera erumpant. Rem ipsam quidem non plane negabant, nec enim mortales sine summa impudentia ac stupore plane negare possunt, quod ante oculos est sensibusque comprehenditur, ut argumentatione opus non sit; at vero ignorabant primo profunditatem magnitudinemque mali per se, quod totam hominis naturam iam peruasit, atque in intimis quasi medullis ac visceribus haeret: hinc vel legis peritissimi cupiditatem pravam intus in animo delitescentem ac sollicitantem nequidem in vitio numerabant, ac proinde etiam illi impunitatem dabant. Deinde ignorabant quoque grauitatem culpae, quae per statum naturae corruptum in iudicio diuino contrahitur; hinc illa liberari atque in gratia apud Deum poni res ipsis admodum facilis ipsique homini praestanda videbatur. Iam vero quantum verae reuelataeque de peccato doctrinae per impias extenuationes atque excusationes detrahitur, tantum quoque detrahitur verae de Seruatore doctrinae: fieri enim nequit ut beneficium illius rite aestimet, qui magnitudinem mali grauitatemque ignorat, cuius depulsionem illi vnice debet. Eo magis autem in Iudaeis haec ignorantia vituperabilis erat, quoniam scripta sacra in manibus habebant, ex quibus rem melius omnino discere potuissent ac debuissent.

*Secundo* caeci plane illis temporibus erant Iudaei ad veram restitutionis rationem, tam euidenter licet V. T. scriptis testatam; ut ex vero ex probrari illis potuerit, oculis videntibus illos tamen non videre, quia scilicet videre nolint animumque plane obstinauerint. Cum vero totum restitutionis negotium duabus maxime rebus contineatur, reditu videli-

## VII

videlicet cum Deo in gratiam, & vera internaque animi emendatione, in utraque re quantum a vero aberrauerint in aperto est. Primo enim reconciliationem per satisfactionem alienam & quidem perfectam atque aequalem Christi plane repudiabant, rebus per se leuissimis & plane ad id ineptis Deum sibi placare volentes, sacrificiis scilicet & qualicumque praestatione illorum, quae lex diuina imperat. Hinc doctrinam de persona Seruatoris non solum ignorabant sed etiam execrabantur; hinc doctrinam de fide in Christum, saluteque ac iustitia per illam vnice, excluso plane omni aliarum rerum respectu consequenda, sudes illis in oculis erat. Tanta tamque pestifera mala hodie quoque tantam stragem mortalium edentia peperit praua illa opinio, quod homines natura iam a vera iustitia alieni, Deum ex se, iustitiamque illius summam ac perfectissimam ex vmbribus & imaginibus suae, quam cognoscere sibi que habere videntur, iustitiae metiri consueuerunt, sibi que summo id quasi iure fieri persuadent. Hinc quod ipsi qui debent, in rationibus suis parum aut nihil curant, illud Deum quoque cui debent, nihil curare debere existimant. Alterum quod ad restitutionem hominis pertinet est interna animi sanatio, qua dominatus vitiorum frangi, contra vero facultas ac voluntas Deum in Christo placarum ac reconciliatum super omnia amandi, voluntatique illius ex animo obsequendi comparari debet. Huius vero rei vera ratio tum quoque valde Iudaeis erat ignota; quod cum valde dolendum sit, mirandum tamen non est; cohaeret enim error in hac re cum errore in superiore: qui enim veram reditus cum Deo in gratiam rationem non recte cognoscit, agnoscit & credit, veram quoque rationem emendationis internae non cognoscet, agnoscet & credit; ac proinde non minus in hoc quam in illo negotio rem facile confici posse, Deoque etiam satisfactum putabit, dum sibi leuitatque suae satisfecit. Obscurata itaque doctrina de profunditate vitii & *ἀδυναμία* in omnibus, quae ad salutarem cum Deo rursus ineundam societatem in homine effici debent, peperit necessario apud Iudaeos opinionem, hominem naturae viribus illarumque usu se vel plane vel saltem ex parte sine Dei supernaturali opera corrigere melioremque efficere posse; ex quo factum tandem est, vt non solum res quae vocabulis *regenerationis* & *conuersionis* significantur, neglectae & amissae, sed etiam ipsa vocabula obliuione obscurata sint sensimque in defuetudinem venerint; ita vt tamquam ad rem nouam stuperent,

cum

### VIII

cum a Domino ac testibus illius in usum reuocarentur. Ex hoc itaque errore innumera mala fluebant; hinc enim qualicunque externa obseruatione legis contenti erant; hinc verus Dei cultus in spiritu ac veritate amissus & ignoratus, omnibus tandem in certarum cerimoniarum vsurpatione externa positus; hinc excogitata innumerabilia instituta, praeter diuinitus praescripta imo contra illa, quorum obseruatio tamquam necessaria exigebatur, eo si non semper consilio saltem exitu, vt obseruatio diuinorum praeceptorum iaceret, humanis se tantum iactantibus; vt multa alia iam silentio praetereamus.

*Tertio* haud exiguam Iudaeorum turbam pestilentissimi illorum errores inuaserant, qui immortalitatem animae, resurrectionem mortuorum, praemiaque ac poenas recte aut secus factorum in futura vita inficiabantur, ac proinde omnem religionem, funditus extirpabant. Totum Sadducaeorum gregem non solum ex hac disciplina vixisse, quod plurimi nunquam non faciunt qui eam voce ac scriptis oppugnant, sed illam etiam tradidisse, neminem facile fugit. Capitales hi errores hoc quidem hominum genus apud multos ac Pharisaeos inprimis in odium atque inuidiam adduxerant, id quod tamen impedire non potuit, quo minus multi illorum sectam sequerentur: rationes enim atque opiniones quae cupiditatibus assentantur impunitatemque peccatorum pollicentur, facile hominibus probantur ac creduntur, etiamsi nihil nec probabile nec credibile habeant, imo absurdissimae sint, Deique atque hominis natura plane indignae. Imo ipsi Pharisei, qui praemia poenasque futuri seculi verbis concedebant, viam tamen rectam has effugiendi illa vero consequendi, nec cognoscebant, nec sequebantur; quo in statu qui sunt, eo etiam reuera animo ac voluntate sunt, vt mallent ea falsa esse, quae tamen aliquo modo aut extimescunt aut optant.

*Quarto* in tanta rerum diuinarum ignorantia atque ad grauissima ac summe necessaria caecitate, mirum non est, summam quoque vitae prauitatem fuisse in populo, quem illud omnium minime decebat, cum aliis exemplo esse debuisset. Quae in ethnicis detestabantur iisque exprobrabant, faciebant tamen ipsi, vt apparet non vitia ipsa damnari atque odio haberi, sed homines (Rom. II. tot.) hinc Deum casta mente venerantes, ad miram paucitatem illis temporibus erant redacti, vt vel ex eo apparet, tempus iam esse, vt tantis malis forti ac celeri medicina obuiam iretur. Imo ipsae bonae ac piae mentes  
variis

variis erroribus laborabant periculo minime vacantibus; imprimis quod ad doctrinam capitalem de Messia attinet. Penitus enim id infixum erat illo tempore animis, regnum aliquod externum opibus ac commodis huius vitae abundans constitui oportere; qua cum falsa opinione diu admodum decertandum erat, dum debellaretur etiam apud illos, qui melius erant animati gustumque spiritualium & aeternorum habebant. Inprimis vero intolerabilis fastus cum contemptu aliorum coniunctus Iudaeos occupauerat, ut neminem prae se quasi hominem putarent. Erat vero haec animi elatio eo periculosior atque indignior, quoniam suo quasi iure spiritus sibi sumere videbantur ex singularibus illis, quae praecipue a Deo tributa erant, atque a Paulo commemorantur (Rom. III. v. I. VIII. I. seq.) ac laudantur; verum ita ut simul ostendat, non gloriandi insolenterque se iis iactandi iustam causam habere Iudaeis, quoniam illa omnia non dignitati alicui aut probitati suae, sed indulgentiae Dei plane gratuita accepta referre debeant; cuiusmodi beneficia tantum abest, ut causam efferendi se adferant, ut potius modestiam submissionemque adferre debeant. Verum enim vero plurimi usu horum munerum vero plane dimisso non nisi abusum retinuerant: hinc pleni & inflati Abrahamo patre aliisque similibus, opponebant sese euangelio Christi omnem huiusmodi gloriationem prosternenti, fauoremque Dei gratuitum satisfactionemque Christi vera fide ad nos transferendam, tamquam vnicae absolutionis ac salutis causas vnice commendanti. Hic status erat populi Iudaici illo tempore, quo Seruator mundi in mundum venit; videamus iam quae conditio fuerit reliquorum populorum, qui ethnicorum nomine solent comprehendi.

*Primo* itaque in aperto est prauis opinionibus de Deo omnia plane fuisse corrupta. Multitudinem imbuerant pessimae opiniones de multitudine Deorum, qua ex re prauarum religionum stupenda multitudo stuebat, ita ut turpissimae idololatriae tum omnia plane essent immersa. Sapientiores quidem atque eruditi talia ex parte ridebant, ferebant tamen imo adiuuabant reipublicae causa, ut quos ratio non posset, religio in officio contineret. Porro superstitionem euitare volentes plerique, in vitium contrarium impietatis incidebant, ut vel Deum plane negarent, vel cum mundo confunderent; qui posterior error quam omnia illo tempore peruaserit simulque effecerit, ut mundum aeternum principioque carentem statuerint, ex historia philoso-

B

phica

phica fati notum est. Re vera autem qui talia sentiebant Deum plane, cum veritatem illius defendere videri veilent, sustulisse facillimum est ad intelligendum. Florebat porro illis temporibus sic dicta philosophia orientalis ex decretis variorum populorum confusa & commixta, quae teterrimum errorem de duplici principio primo, bono scilicet ac malo adsciuerat; quae praua absurdissima licet opinio, mirum est, quantae multitudinis animos tum fascinoerit, ut vel tandem in ipsam ecclesiam christianam irruerit magnasque turbas dederit. operae pretium est, inquirere, qui fieri potuerit, ut homines ratione praediti, imo docti sibi que ipsi sapientes visi, tam aperte delirare potuerint. Verissimam vero ac primariam causam illam esse censemus, quam Paulus nobis patefecit, (Rom. I. Act. XIII. XVII.) cuius dicta huc redeunt. Cognoscere scilicet potest homo viribus naturae recte vtens ex adpectu & consideratione mundi, esse Deum & esse ab illo omnia. Cognoscere etiam valet aliquo modo summas Dei virtutes, officiumque suum eum tamquam conditorem suum rerumque omnium, cui vnice omnia quibus fruitur debeat, colendi ac venerandi, & eo quidem modo qui Deo dignus sit eique probari queat; cognoscere vero etiam potest facile, quantis defectibus laboret cognitio Dei cultusque ipsi probandi, quam iam per nos consequi possumus, & quam necessaria ideo sit reuelatio ipsius Dei. Cognoscere etiam potest, hominem iam natura non amplius in eo esse statu, in quo a Deo optimo maximo in principio collocatum esse oportuit, sed insignem mutationem illius & quidem in deterius esse factam. Quae cum ita sint officium omnino hominis est, iis quae adhuc vera cognoscit natura & habet, pro modo cognitionis ac virium fideliter vti, simul vero etiam reuelationem circumspicere, Deique ipsius cuius erga se benignitatem multis tamen modis experitur, auxilium in tanta re ad salutem suam pertinente implorare. Quae vero cum ab ethnicis neglecta sint, abusive praeterea sint iis quae cognouerant ad iactandos sese atque inflandos, iusto Dei supplicio factum est, ut etiam sapientes illorum amiserint quae habuerant, atque in absurdissimas tandem de Deo rebusque diuinis sententias inciderint.

*Secundo* cultus diuini ratio tali rerum statu non poterat non esse corruptissima, tacito quodam sensu nunquam non animaduertunt mortales, se officio suo erga Deum non satisfacere, imo multis modis id violare, Deumque proinde iustas ipsis succensendi causas habe-

habere. Hinc nunquam non de placando Deo cogitarunt ethnici, sed ignorantione verae reconciliationis, multa eaque ineptissima sunt commenti, quibus culpa ac poena diuina se liberari posse existimabant. Emicat interim ex his aliqua veritatis scintilla in densissima errorum caligine non plane extincta, sensisse nimirum homines necessitatem placationis Dei offensi; ut hac ex parte meliores adhuc fuerint ethnici, quam multi postea ex christianorum numero, qui pessimo consilio atque euentu illam equis quasi virisque oppugnarunt, & ad huc oppugnant.

*Tertio* vitae morumque tanta tamque immanis apud ethnicos erat deprauatio, ut obtupescere oporteat ad commemorationem scelerum ac flagitiorum, quorum memoriam cum sacrae litterae tum profanae nobis conseruarunt. Sufficere potest, vel solus index Paulinus (Rom. I.) propter argumentum quidem tristissimus, propter admixta vero grauissima apostoli monita bonae frugis plenus. \* Inquirentes interdum in causas, cur Deus, cuius prouidentia rebus omnibus etiam malis implicatur, permiserit, tot libros graecorum, latinorum aliorumque populorum vetustissimos omni impietate, verborum rerumque obscenitate, multisque aliis offendiculis refertos ad nostram usque aetatem peruenire, cogitatio subiit factum illud esse ex ea quoque causa; ut per experimenta ac res gestas multorum seculorum appareret omnibus, quam misera ac deprauata sit ac maneat conditio hominum etiam doctissimorum sine Deo, sine Christo ac lumine Dei uiuentium sibi que relinqui cupientium: quam etiam vnam ex causis esse putamus, cur in ipsis sacris litteris passim exempla horrendorum scelerum ac flagitiorum litteris sint consignata. Equidem hic obiici posse videmus, multos tamen quoque viros, ut appellant, bonos, vitiis inimicos virtutibusque praeditos inter ethnicos fuisse, qui etiam egregie

B 2

de

\* Omnia haec scelera ac flagitia tum apud Romanos vixisse HUGO GROTIUS in notis ad h. l. docet, generatim vero SENECA his verbis imaginem temporum exprimit, L. II. de ira c. VIII. *omnia sceleribus ac vitiis plena sunt, plus committitur, quam possit coercionem sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quacunque visum est libido se impingit; nec furtiua iam scelera sunt, praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus euoluit, ut innocentia non rara sed nulla sit.*

de virtutibus recteque factis scripserint ac locuti sint. Fatemur sane multa narrari quae magnam speciem habeant, recteque κατ' ἀνδρωπον & ipso codice sacro praeunte, vsurpari possint ad illorum, qui christiani adpellantur scelera redarguenda; interim tamen res iis non est confecta. Ignorarunt enim illi ac non habuerunt verum ac purum principium internum, fidem amoremque nimirum Dei super omnia ex toto pectore, qui primarius fons esse debet virtutum reliquarum recteque factorum omnium; ignorarunt statum irae ac damnationis, in quo iam omnes natura sunt, qui efficit, vt nihil ab homine recte & ita vt necesse est, Deoque probari queat, fieri possit, quoad eo statu liberatus non est: non habuerant, nec habere potuerant propositum sibi finem summum & vltimum, ad quem omnia referri oportet; accessit plerumque opinio, deleri posse recte factis suis peccata, gratiamque Dei sibi pro iis deberi. Talis itaque status generis humani nascente Christo erat; ex quo satis apparebat, illud omnino magno ac diuino plane auxilio magnopere indigere, sibi que ipsum consulere nullo modo posse. Progrediamur vero nunc ad alteram argumenti ad explicandum delecti partem, ostensuri videlicet etiam, propter varias causas opportuna tamen admodum fuisse tempora nati Christi, vt salus ab ipso parta facilius ad notitiam mortalium perferri potuerit; quae tamen cuncta breuiter tangemus ac modo delibabimus.

*Primo* itaque illo tempore natus est Seruator, quo iam ab aliquot retro seculis nullos legatos Dei extraordinarios habuerant Iudaei, singularibus diuinis muneribus, miraculorum inprimis effectione insignes; cuius rei cum variae sine dubio causas fuerint, cum in hominibus ipsis tum in certis consiliis Dei sitae, vnam tamen ex illis fuisse existimamus; vt eo magis emineret Iesus varum summus ac per se fide dignissimus. Et cum Palaestina miraculorum olim ferax terra, iam dudum illis caruisset, poterant miracula Iesu homines eo facilius ad admirationem illius conuertere, doctrinaeque viam ad animos munire, quod licet illum quem debebat effectum non habuerit, non tamen plane illo caruit; fuerunt enim aliqui, qui tum statim crediderunt, longe vero plures praeparati sunt ad fidem testimonio apostolorum postea habendam.

*Secundo* natus est Christus illo tempore, quo Iudaei per varias calamitates, per totum orientem maxime, iam per longum sauis tempus disper-

disperferant, id quod duplici ratione propagando euangelio inferuit. Primo enim Iudaei extra Palaestinam viuentes, plerumque saltem paulo molliores ac mitiores erant Palaestinae incolis, non tam mordicus quippe Iudaismo, quatenus in vitio ponitur, addicti atque hi; quoniam remotiores erant a capere quasi illius & arce, Hierosolyma videlicet ac templo. Hinc plures Iudaeos extra Iudaeam quam in Iudaea doctrinam salutarem suscepisse, plane constat. Deinde per Iudaeos inter tot populos dispersos aliqua iam quoque occasio adlata fuerat ethnicis meliora de Deo cognoscendi; id quod sine dubio omni fructu non caruit, animis multorum per id praeparatis ad credendum euangelio. Imo tales inter Iudaeos viuentes haud raro bonis Iudaeorum melius uti ac frui nouerant quam ipsi Iudaei, prouti exemplis Centurionis Capernaitici, Cornelii Caesarensis, Cananaeae mulieris aliorumque constat. (Matth. VIII. Act. X. Matth. XV. Rom. II. 25. sqq.) accedebat, quod libri sacri non adeo longe ante aduentum Domini in carne in linguam graecam, quae illo tempore non minus atque hodie latina & gallica, in vsu plurimorum erat ac vigeat, conuersi sunt, ac sine omni dubio in multorum manus inciderunt; eo apud nonnullos saltem euentu, ut meliora de Deo rebusque diuinis cognouerint.

*Tertio* nato Christo summa rerum in orbe culto ac noto apud Romanos erat, id quod doctrinae euangelicae eo facilius diffundendae non vno modo inferuit. Primo enim Romani illo tempore non difficiles erant in sacrorum libertate aliis concedenda, si modo ita se gerebant, ut nihil in se admitterent, quod tranquillitatem publicam turbaret, reiue publicae vtilitatibus obesseret. Deinde Iudaeis in primis illud indulerant, quos in sacris maxime legibus suis viuere patiebantur. Cum itaque primo tempore christiani Iudaeorum loco a Romanis haberentur, eodem quoque iure uti illis licebat; ex quo factum, ut in Italia imo in ipsa vrbe Roma, mox ecclesiae christianae sint constitutae. Denique Romanorum siue aequitas, siue remissio ac dissolutio animi in rebus religionis Iudaeorum furores saepe coercuit ac repressit, qui in perniciem christianismi & christianorum conuersi erant. Luculenter satis id quod diximus ex Pauli historia apparet, quem Romanorum magistratuum agendi ratio saepius ex Iudaeorum faucibus eripuit, clamores quippe illos non curantium, quasi ab ouibus Christi luporum regno violentus interitus per caedes ac seditiones extimescendus esset.

XIIII

(conf. Act. XVIII-XXV.) Commodum itaque Iudaei tum sub imperio Romanorum erant, summa in se ac res suas potestate priuati: nunquam enim non fieri solet, vt Deo noua aliqua ac singulari ratione vim suam in amplificando regno suo spiritali ostendente, illi qui quidem in ecclesia sunt, sed non de ecclesia vehementius se opponant, quam prorsus alieni. Exstiterunt equidem postea inter Romanorum imperatores crudeles tyranni, qui ingentem in christianos saeuitiam exercuerunt, imo laudabiles etiam ceteroqui principes ad illos vexandos ac delendos impelli se passi sunt; verum enim vero sero id tum agebatur, cum res christianorum iam ita confirmatae essent intra & extra fines Romani imperii, vt tam facile excindi non possent; deinde inserviebant illae ipsae calamitates euangelio, quoniam diuina illius vis omni vi humana superior eo luculentius apparebat.

Quarto vniuersalis illo tempore expectatio erat apud mortales, magnas mutationes conuersionesque rerum instare. Iudaei plane sibi & quidem rectissime persuasum habebant, adesse iam tempus, quo Christus venire salutemque genti suae adferre deberet; vtinam in persona illius opereque per illum perficiendo non plus errassent, quam in tempore. Inter ethnicos per Iudaeos maxime aliquid ea de re emanauerat, quo factum vt & illorum attentio eo magis excitaretur. \*

Sed finem iam facimus pauca adhuc subiuncturi eo pertinentia, vt dictis, per hos diei festos maxime, recte vtamur. Si itaque tempus, quo Deus manifestatus est in carne ad salutem recuperandam, illi ipsi rei opportunissimum fuit, cogitemus optime iam a nobis omne tempus & studium collocari, si salutem partam ipsi quoque re vera adipisci laboremus; quippe quae tum demum iuuat, si accipimus quod tam liberaliter ac benigne a Deo offertur ac datur. Illius ergo benignitatem ne aspernemur. Habemus vero non solum communes omnium temporum hominumque fidei & obsequii causas, sed etiam singulares & proprias; quas vobis adhuc breuiter ante oculos proponemus, experturi an

\* Videntur sane eo pertinere, quae TACITVS habet hist. L. V. c. 13. pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret oriens, profectique Iudaea rerum potirentur. Quibus gemina sunt dicta SVETONII in VESPASIANO cap. IIII. per crebuerat oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis; vt eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.

an torpentes & languescentes imo mortuos inter vos tandem aliquando excitare & ad cogitandam quaerendamque serio in Christo salutem commouere queamus.

Inter causas itaque illas singulares ac proprias temporis nostri *prima* est ipsa deprauatio temporis & impietas hominum illo uiuentium, quae ad summum peruenit, atque ex eo vel maxime elucet, quod vix villo alio tempore tantus Christi euangeliique de eo contemptus fere vniuersalis fuit. Non solum re ipsa infidelitate scilicet & indignatione parendi, sed verbis etiam scriptisque id prae se ferunt summi iuxta atque infimi, docti atque indocti, qui in medio christiano orbe viuunt; resque per stupendam hominum caecitatem & obstinationem eo iam peruenit, vt multi ex omni hominum genere tum demum sibi aliquid sapere salemque habere videantur, si Christo, euangelio Christi, veroque christianismo insolenter insultare non amplius verentur. Quo latius itaque perniciēs haec serpit, eo magis apparet necessitas tanti Seruatoris, quem nobis Deus dedit; necessitas praeterea ad illum solum confugiendi, salutemque & auxilium ab illo petendi, ne hoc aestu absorbeamur, neue nos Christi & euangelii fideique & obsequii cum detrimento salutis nostrae pudeat, efficiaturque vt eum olim & nostri pudeat.

*Alter*a quae nos excitare & ad Christum conuertere debet hoc tempore plane singularis causa, est horrendum Dei iudicium his diebus in Europa exercitum, cuius simile annalium monumenta non habent, quodque iam in omnium ore & sermone versatur. Dicimus scilicet horribilem illum ac singularem terrae motum, quo vniuersa fere Europa per longissimum spatium, a maris Baltici oris vsque ad oras maris Atlantici extremos Lusitaniae fines alluentis imo vltra, ipsis Calendis Nouembris vna eademque hora conuassata est. Inprimis vero ante oculos versatur horribilis deuastatio vniuersi fere regni Lusitanici, cui dies ille tantum non interitum adtulit. Versantur ante oculos maria fundo illorum emoto, omni quiescente vento, attollentia se & exaggerantia cum terribili nauium submersione, terrarumque inundatione; versantur ante oculos stupendae aeternaeque montium moles in imis altissimisque fundamentis suis concussae, imo partim disturbatae ac ruptae. Versatur ante oculos miserabilis ruina vrbis regiae, capitis & arcis regni, emporii Europae nobilissimi, diuitiis & opibus abundantis;

XVI

tis; palatiorum, templorum aliorumque aedificiorum magnitudine, multitudine, magnificentia ac pulchritudine superbientis, splendidissimasque Europae vrbes prouocantis. Versantur ante oculos conquassationes, euerfiones, incendia, flammae ex dehiscensibus terrae inaccessis alioqui faucibus erumpentes; haecque omnia conspirantia quasi ad delendam vno die imo vna quasi hora urbem florentissimam, vt non fit & vix vnquam fuisse videatur. Versantur ante oculos Rēx, Regina, Principes, non belli, non famis, non pestilentiae tempore, sed in media pace, rerum omnium abundantia, exoptatissimaque coeli salubritate, desolati, sibi tantum relictī, sine comitibus, sine apparitoribus, quibus adesse quibus apparere alias omnes gestiunt; esuriunt, sitiunt, quod in hac fortuna admodum rarum; imo non habent quo famem sitimque depellant, quod plane inauditum est. Versatur ante oculos miserabilis interitus tot millium, qui collabentibus palatiis, templis, domibus, oppressi, obriti obruti sunt. Versantur ante oculos, crebris vastisque tremoribus nutantibus tectis, fugae superstitum praecipites, vulgus attonitum lymphatumque ingenti agmine sine duce, sine ordine, solo pauore regente, abeuntes premens & impellens. Videmur nobis audire vlularum feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum; parentes liberos, liberos parentes, alios coniuges vocibus requirentes; hos suum casum, illos suorum miserentes. Videmur nobis videre tot millia mortalium bello subterraneo in exilium eiektorū, sub dio iam agentium. Videmur videre innumeros ex diuitibus vno momento pauperes factos, nudos, egentes, hiemi tempestatibusque obiectos, ipsis etiam campis, vestigiisque in quibus insistunt, non sidentes. Longe in notabili hoc die irae Domini regibus sua maiestas, potentia & quasi diuinitas; longe opulentis diuitiae ac thesauri; longe valentibus robur; longe sapientibus sapientia; longe fortibus fortitudo: contra Dominum enim omnia haec confidentiae gloriaeque humanae praesidia nihil valentia; illius, si in hac quoque materia cum apostolo loqui fas est imbecillitas omnibus hominibus est valentior. Omnes populi instar guttulae in sirula, instar puluisculi in lance remanentis, imo omnes populi nihil sunt ipsi collati, floccii reique tenuissimae loco habentur.

Tanta tam stupenda potentiae, iustitiae, veritatis, praesentiae exempla atque documenta Dominus vniuersi his diebus edidit. In tantis

tis

tis enim malis de Deo aut plane non, aut modo per transeursum & quam breuissime fieri potest, cogitare ac loqui, vel in solis causis naturalibus consistere & hoc modo ex mundo Deum facere, vel Aeolum & Vulcanum ethnicae superstitionis monstra & nomina hic in scenam producere, nec doctum, nec religiosum, imo vecors & impium existimamus. Signa temporis haec sunt a Deo sublata, signa salutis iis qui cum ipso faciunt & coniuncti sunt, signa irae hostibus & contemtoribus Dei ac verbi illius. Vt igitur breuiter dicamus, quomodo his omnibus rite vti debeatis nobiscum, CIVES carissimi, sequentia quaesumus vos ac per salutem vestram obsecramus, probe notate, ponderate, agite.

Primo itaque nos, qui malis his ipsi vacauimus, & modo audimus quae aliis in remotis terris acciderunt, cogitare non debemus, illos prae nobis peccatores fuisse, non plus quam olim id cogitare debebant periculo elapsi de iis, quos turris filouitica oppresserat. (Luc. XIII. 1. sqq.) soli itaque misericordiae diuinae ac patientiae id acceptum referri oportet; quod adhuc sumus & viuimus, quod templa, turrets, moenia, tecta vrbs ad huc stant, frequentantur & habitantur, imo maiori forte peccatorum mole premimur, quam illi qui mole montium, aquarum, aedificiorum sunt oppressi; forte poenitentiam illi egissent, in sacco & cineribus, si verbum poenitentiae ac fidei eiusque praeconium tam purum, tam frequens, tam assiduum habuissent ac nos: forte pasua bona non ita conculcassent pedibus, nec puros fontes ita turbassent, vt apud nos fit. Cogitemus etiam, quod Dominus aliis in simili causa aiebat, nos nisi nos corrigamus ac conuertamus, eodem modo perire posse. (Luc. XIII. 3. 5.) docere enim nos potest ac debet memorabilis hic ac miserabilis casus, quantum materiae, instrumentorumque, ira Dei vltrixque iustitia in subterraneis horreis suis prouisum paratumque habeat; quae cuncta nutum tantum illius atque imperium expectant ad erumpendum stragemque hostium edendam.

Deinde omnes huiusmodi euentus singulares, malaque hominibus ab ipso Deo sine humana opera illata, signa sunt, ac praelusiones, praecursionesque diei illius nouissimi, vniuersalisque iudicii a iudice viuorum mortuorumque exercendi. Rebus ipsis fidem Deus futurorum illo die facit mortalibus, qui dictis illius fidem habere grauantur. Cum itaque praelusiones haec parti alicui orbis terrarum tantam cladem adferre, hominibus tantum pauorem iniicere, ferociam illo-

rum frangere queant; quid quaeso futurum putamus, in ipso Domini die, in quo coelum momento transibit, sidera vero exardescant, liquefcent, & terra operaque in illa deflagrabit; in quo iudicis summi pro tribunali sedentis tanta maiestas apparebit, ut coelum & terra ad spectum illius fugiant ac ferre nequeant. Audite quaesumus ipsum Dei spiritum oratione grauiissima rerumque grauitati accommodata describentem, timorem, pauorem etiam ferocissimorum. (Apoc. VI. 12.) & vidi cum aperiret Agnus sigillum sextum; & factus est magnus terrae tremor & sol factus est niger sicuti cilicium, & luna instar sanguinis facta; & stellae coeli deciderunt in terram, quemadmodum ficus immaturos fructus deiicit vehementi vento commota; coelumque ereptum est, ut liber conuolutus; omnesque montes atque insulae suis sedibus mouebantur. Et reges terrae, & magnates, & tribuni, & diuites ac valentes, & omnes serui, & liberi occultabant se in speluncis, terrae & rupibus montium, implorantes montes ac rupes, & obruite nos, inquentes, occultateque nos ab adspectu illius, qui in throno sedet & ab ira agni; venit enim dies magnus irae illius, & quis potest consistere? Ille, ille inquam certo ac solus poterit consistere imo bonae fiduciae gaudiique plenus esse, qui Domini gratiam in tempore inuit ac retinuit:

*Iustum & tenacem (talis) propositi virum*

*Non vultus instantis (Iudicis)*

*Mente quatit solida,*

*Nec fulminantis magna (Dei) manus.*

*Si fractus illabatur orbis*

*Impavidum serient ruinae.*

Habetis itaque CIVES carissimi, amplissimam vtilissimamque bene cogitandi recteque ac sapienter faciendi per festos hos dies materiam, vtrumque scilicet aduentum Christi in carne & in gloria. Alter quidem ab altero longissimo temporis interuallo est disiunctus; meditatio vero atque vsus salutaris vtrumque coniungat oportet; quemadmodum ipse Dominus in carne viuens & ambulans nouissimam reuelationem in gloria spectauit. Duobus itaque praeceptis concludimus ac

com-

complectimur, quae dicenda adhuc, commendanda, inculcanda, vobisque per hos diei agenda habemus.

Cogitate ac meditamini ita aduentum Domini in gloria omniaque cum illo coniuncta, vt vos exciteris ad aduentum illius in carne religiose considerandum, ad fructus illius salutare percipiendos, atque ad viuendum vt dignum est euangelio gloriae. (2 Petr. III. 11. seqq.)

Ita transferte ad vos per veram poenitentiam ac fidem salutem ac iustitiam primo Christi aduentu coniunctisque cum illo partam, vt aduentus ille in gloria vobis non terribilis sed laetus aliquando sit, dignique efficiamini, vt effugiatis terribilia tum futura, contra vero cum gaudio constitui amini coram facie gloriae ipsius. Luc. XXI. 33. seqq. I Io. II. 28. Haec praecepta si seruabimus nos, si seruabitis vos, vos erimus gloria vestra, & vos nostra in die illo Domini nostri Iesu Christi, cui benedictio, & honor, & gloria, & robur in omnem aeternitatem.

Amén. P.P. Pridie Natalis Domini 1700 CCLV.



### Mane adhuc Lector & sta Viator ad ruinas vrbs imo regni.

Cum iam omnes summi atque infimi, docti & indocti, lectioni narrationum publicarum de excidio & clade capitis imo totius regni Lusitaniae avidissime, tamquam cuidam humanitatis cibo inhient, visum est adhuc adpendicis loco, condimenta nonnulla sacra conferre, quibus vere salubria ac salutaria effici possint, quae aliunde apponuntur; in gratiam maxime eorum qui respiscere & sapere cupiunt.

Considerate ergo altissimeque in animos demittite verba Dei; Pf. XVIII. 8-16. Pf. XXXXVI. Pf. L. 16-fm. LX. 1-6. LXII. LXV. 1-9. LXVI. 1-12. LXXV. 4-fm. LXXVI. 8-fm. LXXVII. 12-fm. LXXX. 3-fm. LXXXVI. 10-fm. LXXXVII. 5. CXIII. 4-fm. Ies. II. 10-fm. XIII. 5-10. XIII. 23. XXII. 1-14. XXIII. 1-11. XXIII. 1-13. XXVIII. 5-12. Ierem. VIII. 20-24. X. 3-16. XVIII. 1-13. Thren. III. 1-6. Dan. III. 31. fm. Amos. II. 14-16. III. 11. VIII. 7-10. Nahum. I. 1-9. Zephan.

## XX

Zephan. I. 14–fin. Luc. XXI. 33–36. 2 Petr. III. 3–fin. Apoc. XI. 13.  
XVI. 17. fin. XVIII.

Accipite etiam adhuc carmen Germanicum poetæ ignoti, litteris quidem publicis iam vulgatum, at propter verborum sententiarumque grauitatem ac pondus notabile dignumque, vt hic quoque subiiciatur, legatur, expendatur.


*Nicht Æols Hauch, des Schöpfers Richterhand,  
Auch nicht Vulcan, Gott selbst mit Rächerflammen,  
Stürmt über dich, ô Lissabon, zusammen.  
Denn was nicht stürzt und fällt, wird jämmerlich verbrant.  
ô Herr vor dessen Winck auch Fels und Berge beben  
Vor dessen Otem sich auch Flut und Wellen heben,  
Wie schrecklich ist dein Zorngericht.  
Es kostet dich kein viertelstündig Wetter,  
So sinckt die Welt, und wo ist denn ein Retter?  
Und du ô Mensch erzitterst nicht.  
Ihr Spötter schweigt, laßt ab von eurem Hohne,  
Gott schlägt das Haupt und ganz Europa bebt.  
Ihr stolzen Städte seht, und merkt an eurer Crone,  
Wer weis, wenn euch sein Zorn in Schutt und Graus begräbt?  
Nicht Lissabon allein hegt Sünder,  
Die straft des Höchsten Arm, da später, dort geschwinder.*





VIII 3.30 3238  
39

18.9.87  
A. S. 6. 11.  
A. 03.



gustanis illis comitis interfuimus, gratissimoque animo compositionem illam & pacem de rebus ad religionem atque finitentibus, ibidem faciam. Vt ergo pietas nostra erga deum solenni ratione declaretur, d. d. XXX. Septembris producamos centes optimam spem de se praebentes, nobisque dilectissima verba huic tempori & loco accommodata facturos, hoc or-

VRITIVS AVGVSTVS de THVM-  
MEL, eques Misn.

culo primo catechismi maioris in libris ecclesiae nostrae symboli-  
deum patrem creatorem & conseruatorem tam omnium rerum,  
n huius scholae nostrae canet ode Germ.

ROL. LVDOV. FRIDER. BETKENI-  
S, Schmidebergensis Saxo,

am euangelico-Lutheranam de deo filio I. C. *Ἰεανθωπω*  
o humani generis saluatore ex eiusdem catechismi articulo altero  
bus hexametris eloquetur.

HRISTOPH. IOH. GOTTFR. HAY-  
LANNVS, Portensis Misn.

eficiis atque effectis dei spiritus sancti, in ecclesia & scholis, ex art.  
o aget. Latine.

OH. ADOLPH. GOTTLOB TRAVT-  
WEIN, Schoenwerd. Misn.

am belli Schmalcaldici enarrabit. Latine.

V. CHRI-

